

poterit praescribere, nisi praescribendo ecclesiam, cui competunt ipsae decimae. Sed tamen difficilis quaestio est apud magistros. Huic autem, quod dixit, scil. quod praedia non possunt praescribi nisi contemplatione ecclesiae, contrarium videtur illud in I. Ca. Q. II. *Quaesitum est*. Sed dicimus, quod quidam sunt, qui redimunt honores a subditis, et in odium eorum introductum est, ut in hoc casu, scil. sub eis redemptoribus praescribi possint decimae in ecclesia et a talibus personis scil. monachis. Unde in eodem decreto dicitur 'sub huiusmodi redemptore'.

Als interessant für die genaue Auffassung des Verhältnisses von geistlicher und weltlicher Gerichtsbarkeit theile ich noch eine Stelle aus der Quaestio *Quidam laicus* fol. 121^b mit.

'Quando *clericus impetit clericum*, quod nulla causa eum nisi sub episcopo debet convenire. Quando vero *clericus impetit laicum*, aliquando impetit eum super ecclesiastica, aliquando super civili causa. Item cum impetit eum super ecclesiastica, aliq. impetit super eccles. criminali, aliq. super spirituali, aliq. super pecuniaria. *Ecclesiastica criminalis* est, quando quis accusatur de incestu, et ideo inter ipsum et uxorem suam petitur divortium. *Eccles. spiritualis* est, quando tantum de spiritualibus quaestio agitur, utpote decimandi, funerandi et consecrandi. *Eccles. pecuniaria* est, quando movetur quaestio de rebus ex iure decimationis, funerandi seu consecrationis provenientiibus. Dicimus ergo, quoniam in omni causa ecclesiastica laicus sub episcopo est conveniendus, sive fuerit pecuniaria, sive spiritualis, sive criminalis, *dummodo in criminali sanguis non petatur* vel *pecunii multatio*, quod iudicium non episcopo exequitur nec in sacris ordinibus constituto licet exagitare, *sed tantummodo matrimonii impetatur separatio*. Item cum impetit eum super civili, aliquando super civili pecuniaria, aliq. super civili criminali. *Civilis pecuniaria* est, quando agitur de praediis vel de aliis pecuniis, quarum cognitio tantum ad iudicem civilem spectat. *Criminalis civilis* est, quando agitur de criminalibus commissis, propter quae vel sanguinis effusio vel pecuniae petitur multatio, quod iudicium tantum ad civilem et non ecclesiasticum debet fieri iudicem. In civili ergo pecuniaria sacerdos sub episcopo, *si valet*, conveniat laicum, alioquin per civilem iudicem suum jus prosequatur. In civili criminali nec sacerdos nec quilibet in sacris ordinibus constitutus laicum, nec laicus quemlibet eorum, nisi foret exactoratus, valet impetere.